

341

339

345

335

350

330

390

290

440

240

Ende

Anfang

326

non ausus fui usque ad ultimam procedere, postquam enim ingressus fui tertiam, et lumen per primae speluncae ostiolum immissum amplius cernere non potui, substi propter horrorem tenebrarum. Posset enim ingrediens errare et exitum amittere, quia antiqui profunde petras pro suis mortuis sepeliendis cavaverunt. Joseph ergo ab Arimathia, vir bonus et justus, nobilis et dives, potens et prudens, emit pro se hortum juxta civitatem ad latus rupis Calvariae, et rupem integrum incidi et cavari fecit. Mortuo autem Domino cessit Josephus juri suo, et hortum cum monumento Christo dedit, qui primus et altius in eo sepultus fuit. Dum enim de cruce depositus fuit, portaverunt eum a rupe Calvariae per maceriam in hortum, et super lapidem ad hoc factum corpus unixerunt, et in sepulchrum intulerunt in secundam speluncam, quia erat spelunca duplex, et primum ostium primae speluncae erat altum et latum, ad medium speluncam ducens. Ostium ad secundam speluncam ducens non respiciebat ostium primae, quia erat in latere sinistro ingredientis, et erat demissum et paryum ostiolum, et a parte dextra erat locus (126 A), in quo positus fuerat Dominus in aquilonari parte, ibi enim cum industria fuit intermissa cavatio, et tantum de petra dimissum, quantum corpus hominis in dorso jacentis occupat in latum et in longum, tribus palmis et dimidia a terra sursum. Pro quo nota, quod scribentes de dominico sepulchro faciunt differentiam inter monumentum et sepulchrum. Monumentum enim dicitur tota petra cavata, et totum habitaculum. Sed sepulchrum dicitur locus corporis sarcophagus, sive tumulus, sive tumba. Monumentum ergo Domini non habuit sepulchrum sive sarcophagum mobile, sed de ipsa eadem petra factum. Fuit tamen a parte anteriori cavatio ad imponendum corpus, quod in medio sepulchri ponebatur, ita, quod supra fuit quasi tabula coopertum, et infra fundamentum a terra elevatum derelictum, ubi corpus ponebatur. Ita videntur loqui Saneti de dominico sepulchro scribentes. Magister in historia sacra allegat venerabilem Bedam, dicitque: monumentum Domini domus erat rotunda, de subjacente rupe excisa, tantae altitudinis, ut vix homo longus manu extenta culmen posset attingere, introitum habens ab oriente, cui magnus lapis appositus erat pro ostio.

